



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

I. De pace ecclesiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
905.
vel 906.

LEGES ECCLESIASTICÆ

EDOVARDI SENIORIS REGIS ANGLIÆ,
& Guthurni regis Danorum in Eastanglia, &c. ab
Aluredo Magno & Guthurno regibus primum con-
ditæ, & nunc denuo ab Edouardo filio eiusdem Alure-
di & Guthurno fœdus ineuntibus, Intingfordæ vt vide-
tur, confirmatæ.

TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- | | |
|---|---|
| I. De pace ecclesia. | VII. De iis qui die dominico sua
negotia agunt. |
| II. De apostatis. | VIII. De ieiuniis. |
| III. De correctione ordinatorum,
id est, sacris initiatorum. | IX. De iureiurando & ordalio. |
| IV. De incestu. | X. De membro truncato post ter-
tium diem subueniendo. |
| V. De rei capitalis damnato con-
fessorem desiderante. | XI. De sagis, ariolantibus, peie-
rantibus, &c. |
| VI. De decimis & censu ecclesia de-
tentis. | XII. De iis qui sacris initiantur,
& de peregrinis. |

Proœmium.

HÆC ea sunt senatusconsulta ac instituta, quæ pri-
mo Aluredu & Guthurnus reges, deinde Edouar-
dus & Guthurnus reges, illis ipsis temporibus tulere, cum
paciis fœdus Daci & Angli ferierunt, ac sese mutuo am-
plexi sunt, quæque postea a sapientibus recitata sæpius,
atque ad communem regni vtilitatem aucta, atque am-
plificata sunt.

Ante omnia, Deum vnum spreto omni ac repudiato
cultu barbaro, auguste sancteque venerandum proposue-
runt; tum leges humanas (propterea quod pro explorato
haberent nolle sine his quamplurimos aut in officio conti-
neri suo, aut ecclesiasticæ morem gerere disciplinæ) con-
scribendas curarunt, easque Christo cum rege commu-
nes promulgarunt, his vt eorum coerceretur temeritas,
qui episcopi imperata obire noluerint.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Hoc igitur primo decreuerunt, vt ecclesiæ pax intra
Concil. Tom. 24. XXXX

XXXX

suos parietes, eaque, quæ est manu regis tradita, tranquillitas, pie, inuiolateque feruentur.

II.

Porro autem si quis Christianam fidem exuerit, adeoque dictis, aut factis cultum promouerit barbarum, capitis æstimatione, mulcta, aut ipsa legis violatæ pœna, prout ipsa feret facti ratio, culpa pensator.

III.

Si quis sacris initiatus clepserit, dimicarit, peierarit, aut fornicatus fuerit, capitis æstimatione, mulcta, aut legis violatæ pœna, pro ipsa delicti ratione compensato: Deo saltem, prout se regulæ habuerint ecclesiasticæ, faciat satis, atque in custodiam, ni fideiussores admouerit, coniicitor. Sacerdos si in diebus festis, aut ieiuniis populo indicendis errauerit, 30. solidis, si quidem id inter Anglos euenerit, mulctator: sin idem in Dacis acciderit, sesquimarcam pendito. Sacerdos si ad dies in hoc condictos oleum non pararit sacrosanctum, aut baptisma, cum vsus fuerit, denegarit, inter Anglos mulctator, in Dacis autem legis violatæ pœnas luito, oras nimirum duodenas numerato. Si quis sacris initiatus capitale quidquam perpetrarit, capitor, vt tandem episcopo criminis admissi pœnas dependat.

IV.

Præterea autem sapientibus visum est, vt qui fœdo se polluerint incestu, eorum qui fuerit superior rex habeat, inferiorem episcopus, ni citius cumulate Deo & hominibus compensarint, & quod fuerit eis ab episcopo indictum, confecerint. Si duo fratres germani, aliive sanguinis necessitate iuncti cum vna eademque vxore rem habuerint, capitis æstimatione, mulcta, aut legis violatæ pœna, prout æquum fuerit, ipsaque feret facti ratio, compensanto.

V.

Si quis rei capitalis damnatus, sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupiuerit, id ei conceditor. Omnes autem studiose ac sedulo iura omnia diuina prouehunto, ita vt diuinam misericordiam consequantur, atque has a sapientibus irrogatas fontibus pœnas declinent.

VI.

Dacus si decimas non dederit, legis violatæ pœnas soluito, Anglus mulctator: Dacus si debitum Romæ num-